

principia generalia petat ex ipsâ Geometriâ, *κρυπτός* & olim solitariè sic dictâ Mathesi, ut & ex eâ Primæ Philosophiæ parte, (Rationum doctrinâ cum Arithmeticâ) quam ut adscititiam Geometra profitetur. Quid enim est in tota Physica scientiâ (Acroasin hîc excipio, nudasque rerum naturalium historias) quod Geometriam non sapiat? Loquatur hoc Hippocrates Physicorum cordatiorum Parens, imò loquatur ipsa Physica Recentiorum arctissimo fœdere Mathesi juncta. Quantum principiorum Politica debeat Mathesi, loquatur Plato de Republicâ. Nos hîc miserabilem depravatæ Philosophiæ sortem dolemus, & ut in posterum fata meliora sequantur, optamus, speramus.

Quod omnes disciplinas ingrediatur.

Votum!

CAPUT XII.

De Constitutione Disciplinarum.

§. I.

Hucusque Subiecta Disciplinarum, earumque genera & species perlustravimus: Sequitur ipsa Methodus, quâ vel *Disciplina* *constituuntur*, vel *constitutæ traduntur*, vel *traditæ apprehenduntur* Disciplinæ. Quod *Constitutionem* concernit, Scientiarum puta complexarum, h. e. integrarum disciplinarum, nititur illa simplicium & partialium scientiarum inventionem, & naturæ ductu potius quàm regulis artificialibus perficitur: modò, quod superius etiam monui, benè perceptis, & accuratè probatis jam inventis (non curiosis conceptibilitatibus, sed effatis realibus tum intellectivis, tum demonstrativis) strenuè porrò meditemur, & institutis experimentis, earumque variationibus, repetitionibus, extensionibus, translationibus, inversionibus, applicationibus, copulationibus, periclitationibus (ô utinam hîc Tagus fluat, aut Pætolus) Naturæ viscera, (non externam larvam) penitiùs inspiciamus, & inventa nova fideliter invicem communicatemus, comunicata non ex præconceptis opinionibus, sed analyticâ methodo dijudicemus, minus accurata placidè notemus, meliora substituamus, merè probabilium utramque

Culturâ egent,